



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita
accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum
notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum
Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 139. Vtrum vbicatio Angelica sit penitus indiuisibilis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

ter, & antecedenter ad omnem operationem transeuntem in tali loco exercitam. Deus igitur licet formaliter non existat in loco creato per operationem transeuntem in tali loco exercitam, tamen non potest existere actu in loco, quin exerceat aliquam operationem transeuntem in tali loco, illum producendo, vel conseruando. At Angelus non existit formaliter in loco corporeo per operationem transeuntem in tali loco exercitam, & præterea potest existere in loco corporeo, absque eo, quod exerceat ullam operationem transeuntem in tali loco.

43. Ad 5. Vbicatione Angelica, sicut potest vocari contactus virtutis, sic potest vocari applicatio virtutis, siquidem Angelus per vbicationem, qua cum aliquo corpore penetratur, vel est illi proximus, ita applicat suam virtutem tali corpori, vt naturaliter possit in illo operari, si velit: ideoque in hoc sensu concedo, quod Angelus sit in loco per applicationem virtutis. Si verò applicatio virtutis explicetur ita, vt non includat vbicationem, vt videntur explicare Authores sextæ sententiæ relatæ num. 22. nego Angelum esse formaliter in loco per applicationem virtutis ex rationibus ibi allatis &c.

QVÆSTIO LXXXIX.

Utrum vbicatio Angelica sit penitus indiuisibilis?

1. Videtur, quod Angelus licet sit indiuisibilis secundum substantiam, ac proinde sit totus in toto spatio, ac totus in qualibet parte spatij, tamen sit in spatio diuisibili per vbicationem proportionaliter diuisibilem, ita vt per dimidiam vbicationem sit in dimidio spatij, per tertiam partem vbicationis sit in tertia parte spatij: primò quia licet Angelus sit indiuisibilis, tamen durat per durationem diuisibilem proportionaliter, ac tempus, ita vt duratio, qua durat prima semihora, distinguatur à duratione, qua durat in secunda semihora, illamque temporaliter præcedat: ergo etiam licet Angelus sit indiuisibilis, vbicatur in spatio diuisibili per vbicationem diuisibilem proportionaliter, ac spatium.

2. Secundò eatenus vbicatio permanens Angeli non deberet esse diuisibilis proportionaliter, ac spatium, quatenus diuisibilitas proportionalis spatio esset ita propria entium materialium, vt non posset conuenire accidentibus purè spiritualibus, vbicatio autem angelica est accidens purè spirituale; sed diuisibilitas proportionalis spatio potest conuenire accidenti purè spirituali; ergo &c. Probatur minor: nam vbicatio fluens, seu motus localis Angeli est accidens purè spirituale, non minus, quam vbicatio permanens, sed motus localis Angeli habet diuisibilitatem proportionalem spatio: nam si Angelus moueatur per

spatium vnus miliaris, motus, quo mouetur per primam medietatem miliaris, præcedit tempore motum, quo mouetur per secundam medietatem, ac proinde ab illo distinguitur: motus, quo mouetur per primam quartam partem, præcedit tempore, ac proinde distinguitur à motu, quo mouetur per secundam quartam partem, atque idem dic de reliquis; ergo &c.

3. Tertiò proportionaliter Angelus spiritualis est in spatio corporeo diuisibili, ac anima rationalis spiritualis est in corpore diuisibili: sed anima rationalis est in corpore diuisibili per vnionem diuisibilem, proportionaliter, ac corpus: ergo Angelus est in spatio diuisibili per vbicationem diuisibilem proportionaliter, ac spatium. Probatur minor: nam cum alicui absconditur digitus, anima rationalis amittit vnionem cum digito, & retinet vnionem cum reliquo corpore: ergo vnio, qua vnitur digito, distinguitur ab vnione cum reliquo corpore. Rursus anima retinens vnionem cum reliquis partibus, de nouo acquirit vnionem cum partibus, quas acquirit per nutritionem, amittit vnionem cum partibus, quas amittit per actionem caloris naturalis: ergo vnio, quam ante habebat, & retinet, distinguitur ab vnione, quam amittit, vel acquirit de nouo, ac proinde vnio animæ rationalis cum corpore est diuisibilis proportionaliter, ac corpus.

4. Respondeo duas esse sententias. Prima Vasquez tom. 2. in 1. partem disput. 188. cap. 7. num. 30. docet vbicationem permanentem Angelorum esse indiuisibilem etiam ex parte spatij, ac proinde esse totam in toto, totam in qualibet parte spatij.

5. Secunda sententia Suarij lib. 4. de Angelis, cap. 17. docet vbicationem permanentem Angeli esse diuisibilem proportionaliter, ac spatium, ac proinde componi ex partibus inter se distantibus: ex. gr. si Angelus supponatur occupare totum spatium huius cubiculi, Angelus utpotè indiuisibilis, & partibus carens, erit totus in toto hoc cubiculo, totus in qualibet parte huius cubiculi: at vbicatio permanens Angeli erit diuisibilis, ac constabit ex partibus, quarum vna erit in vna parte, altera in alia parte huius cubiculi, & sicut vna pars spatij distat ab alia, sic vna pars vbicationis distabit ab alia parte vbicationis.

6. Dicendum cum prima sententia: vbicatio permanens Angelica non est diuisibilis proportionaliter, ac spatium, nec constat ex partibus inter se distantibus, sed est penitus indiuisibilis, ac partibus carens, ac proinde tota est in toto spatio, tota in qualibet parte spatij.

Probatur: nam soli enti materiali conuenit constare ex innumeris, imò ex infinitis partibus simul existentibus, quæ debeant ita extendi in spatio, vt vna sit extra aliam; sed vbicatio Angelica est accidens non materiale, sed purè spirituale: ergo vbicatio Angelica

non

non est diuisibilis proportionaliter, ac spatium, nec constat ex innumeris, imò infinitis partibus simul existentibus, quæ ita ordinentur in spatio, vt vna sit extra aliam. Probatum maior: nam materia prima, licet sit primum subiectum, non dependens ab alio subiecto, ingenerabile, & incorruptibile, nihilominus per hoc præcisè, quod constat ex innumeris, imò infinitis partibus simul existentibus, quæ debeant ita extendi in spatio, vt vna sit extra aliam, intelligitur esse summæ materialis, & illa ipsa multitudo partium sic extendibilium intelligitur esse summa quædam materialitas: formæ etiam tum substantiales, tum accidentales constantes ex totidem partibus proportionaliter respondentibus partibus materiæ, & proportionaliter extendibilibus, propter hoc ipsum intelliguntur esse proportionaliter materiales: Animæ verò brutorum perfectorum, quia in sententia multorum sunt indiuisibiles, ac non constant ex infinitis partibus, intelliguntur esse minus materiales, quam aliæ formæ diuisibiles, licet quia dependent à materia, & subiecto constante ex infinitis partibus, sint simpliciter materiales; ergo compositio illa ex infinitis partibus sic extendibilibus est maxima quædam materialitas, ac proinde vbicatio permanens Angelica, cum sit spiritalis, non constat ex infinitis partibus sic extendibilibus, & extensis, nec est diuisibilis proportionaliter, ac spatium, sed est indiuisibilis proportionaliter, ac substantia Angeli, & est tota in toto spatio, tota in qualibet parte spatij.

7. Ad 1. concedo antecedens, & nego consequentiam. Ideo Angelus debet durare per durationem diuisibilem proportionaliter, ac tempus, quia non debet esse simul in parte priori, ac in parte posteriori temporis, sed prius debet esse in parte priori, deinde in parte posteriori temporis: ex. gr. prius debet esse hodiè, quam cras, prius debet esse hoc anno, quam anno sequenti, ac proinde prius debet esse duratio, quæ est hodiè, quam duratio, quæ erit cras: & quia prius, & posterius distinguuntur, duratio, qua Angelus est hodiè, debet distingui à duratione, qua erit cras: sed Angelus per vbicationem permanentem simul debet esse in omnibus partibus spatij, ac totus debet esse in singulis partibus spatij: ergo non est ratio, cur vbicatio Angelica debeat constare ex partibus proportionalibus partibus spatij, sed potius est ratio, cur debeat vbicatio Angelica esse indiuisibilis proportionaliter, ac Angelus est indiuisibilis. Hinc potest desumi secundum fundamentum veluti negatiuum nostræ conclusionis desumptum ex eo, quod non est ratio, cur vbicatio Angelica permanens debeat esse diuisibilis, ac potius est ratio, cur debeat esse indiuisibilis.

8. Ad 2. distingo maiorem: etenim vbicatio permanens Angeli non deberet esse diuisibilis in partes proportionales spatio, quatenus diuisibilitas proportionalis spatio in par-

tes permanentes esset propria entium materialium, concedo; quatenus diuisibilitas proportionalis spatio in partes fluentes, ac successiuas esset propria entium materialium, nego maiorem; distingo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Diuisibilitas proportionalis spatio, per quam res constat ex infinitis partibus permanentibus, quæ debeant extendi in spatio vna extra aliam, est propria entis materialis, cum sit maxima quædam materialitas, vt explicatum est num. 6. At diuisibilitas primo, & per se proportionalis tempori, & consequenter proportionalis spatio in partes fluentes, & successiuas, quarum vna sit post aliam, non est propria entium materialium, sed conuenit omnibus entibus successiuis: entia autem successiuia possunt esse non solum materialia, sed etiam spiritalia. Ratio est, quia substantiæ spirituales creatæ durare debent duratione successiuâ, quæ prius sint ante, quam post, prius sint hodiè, quam cras; ergo duratio substantiarum creatarum spiritualium debet esse fluens, & constans ex partibus, quarum vna sit prius, alia sit post, ac proinde quæ distinguantur proportionaliter, ac distinguuntur partes temporis; sed duratio substantiæ spiritalis est spiritalis; ergo datur ens spirituale successiuum, ac fluens. Rursus substantiæ spirituales creatæ, cum non sint vbique, debent posse moueri localiter ex vno loco ad alium, ita vt prius perueniant ad loca propinquiora, quam ad remotiora; ergo debent posse moueri motu primo, & per se diuisibili proportionaliter, ac tempus, siquidem prior pars motus debet distinguui à posteriori proportionaliter, ac prius tempus distinguitur à posteriori; sed hinc sequitur, quod motus, quo Angelus mouetur per primam partem spatij, distinguatur à motu, quo mouetur per secundam partem spatij; ergo motus localis Angeli debet consequenter constare ex partibus proportionalibus partibus spatij, per quod mouetur; sed motus localis Angeli debet esse spiritalis: ergo etiam ex hoc capite dari debet ens successiuum spirituale; ergo diuisibilitas primo, & per se proportionalis tempori, & consequenter proportionalis spatio in partes fluentes, & successiuas, quarum vna sit post aliam, non est propria entium materialium, sed communis omnibus entibus successiuis, quæ possunt esse etiam spiritalia. Sed de motu, seu vbicatione fluente Angeli agatur ex professo infra quæst. 144.

9. Ad 3. Nego maiorem. Angelus est in spatio corporeo diuisibili per vbicationem receptam in solo Angelo, ac proinde spiritalem, cui repugnat, vt sit diuisibilis in partes permanentes proportionales spatio. At anima rationalis vnitur corpori per vnionem, quæ recipitur in anima simul, & corpore, ac proinde non est spiritalis, sed materialis, cum dependeat à materia, vt dixi quæst. 10. Physicæ in respons. ad 5. sed non repugnat, imò maxime

420 De magnitudine vbicationis Angelicæ.

conuenit enti materiali, vt sit diuifibile in infinitum proportionaliter, ac corpus, à quo dependet, tanquam à fubiecto; ergo.

QVÆSTIO CXXXX.

Vtrum Angelus naturaliter, vel supernaturaliter poffit effe vbique, vel faltem in loco maiori, & maiori in infinitum?

1. **P**rimò videtur Angelus effe vbique. Nazianzenus enim Orat. 34. propè finem, & Hieronymus epift. 53. contra Vigilantium, affirmant Angelos, & dæmones vbique terrarum effe; ergo.

2. Secundo videtur Angelus etiam naturaliter poffe fe conftituere in loco maiori, & maiori, in infinitum. Angelus enim potest fe naturaliter conftituere in loco minori, & minori in infinitum; ergo etiam potest fe naturaliter conftituere in loco maiori, & maiori in infinitum.

3. Refpondeo plures effe fententias. Prima Durandi in 1. diftinct. 37. 2. parte dift. quæft. 1. num. 16. docet Angelum effe in loco per fuam fubftantiam, ac cum femper retineat fuam fubftantiam, femper effe in omnibus locis, ac proinde effe vbique.

4. Hæc fententia reiecta eft à nobis quæft. 12. num. 10. & quæft. 11. num. 12. vbi attuli quædam testimonia Patrum dicentium Angelos non effe vbique, fed moueri de loco ad locum. Potest etiam reijci ratione. Nam, omnis fubftantia finita, & limitata poftulat vbicationem finitam, & limitatam, ac folus Deus cum fit infinitus, habet infinitam vbicationem, quæ vocatur immenfitas; fed Angeli funt fubftantiæ finitæ, & limitatæ; ergo.

5. Potest primo quæri, vtrum Angelus faltem diuina virtute poffit supernaturaliter poni vbique?

Refpondeo quæftionem poffe habere duplicem fenfum. Primus eft, vtrum Angelus supernaturaliter poffit à Deo accipere vbicationem indiuifibilem æqualem vbicationi totius mundi, per quam proinde fit vbique, hoc eft in omnibus locis actu exiftentibus. Exiftimo Angelum in hoc fenfu poffe supernaturaliter effe vbique. Ratio eft, quia hæc vbicatio effet finita, ficut mundus eft finitus; fed non repugnat, quod Deus det supernaturaliter Angelo vbicationem maiorem, & maiorem ea, quam naturaliter poffit habere, dummodò talis vbicatio fit finita; ergo.

Probatur minor: nam licet Angelus naturaliter poffit habere intellectionem finitam, ac determinatam perfectionis, tamen Deus potest supernaturaliter dare Angelo cognitionem perfectiorem qualibet intellectione, quam poffet naturaliter habere, & de

facto dar Angelis beatifictionem beatificam perfectiorem qualibet intellectione naturali, ac dare potest vifionem beatificam perfectiorem, & perfectiorem in infinitum; ergo à pari.

6. Secundus fenfus eft, vtrum Angelus poffit à Deo supernaturaliter accipere vbicationem infinitam, & immenfam, per quam non folum fit vbique, hoc eft in omnibus locis actu exiftentibus, fed fit virtualiter præfens omnibus fpatiis imaginarijs, hoc eft maioribus, & maioribus in infinitum, fi ponerentur.

7. Refpondeo negatiue. Vt enim diximus quæft. 34. Phyficæ agentes de infinito, repugnat infinitum creatum actu exiftens secundum fuam infinitatem, quod vocatur infinitum categorematicum; fed talis vbicatio immenfa effet actu exiftens secundum fuam infinitatem; ergo.

8. Secunda ergo fententia communis penè omnium Scholafticorum docet Angelum non poffe naturaliter fe conftituere vbique, nec in loco maiori, & maiori in infinitum, fed dari maximum locum, & maximam vbicationem ita adequatas virtuti naturali Angeli, vt non poffit naturaliter fe conftituere in loco maiori, nec in fe producere vbicationem maiorem; & hanc fententiam exiftimamus veram.

9. Probatur; nam qualibet virtus finita, & limitata ita proportionatur alicui effectui finito, & limitato, vt naturaliter non poffit producere effectum maiorem: e.g. ignis non potest producere calorem intensiorem, & intensiorem in infinitum, nec potest calcificare in diftantia maiori, & maiori in infinitum: intellectus cum tanto lumine gloriæ non potest fconnaturaliter producere vifionem Dei, nifi determinatæ perfectionis, ac non maioris &c. fed Angelus habet fubftantiam, & virtutem folum determinatam, & finitam; ergo &c. Vbicatio maxima, quam Angelus potest naturaliter habere, vocatur vbicatio adequata Angeli: vbicatio minor, & qua Angelus poffet naturaliter habere maiorem, vocatur vbicatio inadæquata; & proportionaliter locus æqualis maximæ vbicationi dicitur locus adequatus: locus minor maxima vbicatione dicitur locus inadæquatus.

10. Infertur, quod ficut vifio adequata, potentia vifiuæ perfectiori eft perfectior vifione adequata potentia vifiuæ imperfectiori, fic vbicatio adequata Angelo perfectiori eft maior vbicatione adequata Angelo imperfectiori. Vniuerfum enim quod eft adequatum, & æquale maiori, ac perfectiori, eft maius, & perfectius. Ex quo vltcrius infertur poffibilem effe Angelum adeo perfectum, vt illi deberetur vbicatio æqualis mundo, per quam effet in omnibus locis actu exiftentibus, licet poffet etiam dari mundus maior hoc, qui à tali Angelo non impleretur.

11. Ad 1. Allata testimonia Patrum non probant Angelos effe vbique eodem tem

poced